


PROPHETÆ
MINORES.

LIBRI
MACHABÆORVM II.
ESDRÆ III. & IV.



Tom. VI.

A

PRO-

PROPHETIA

O S E E.

CAPVT PRIMVM.

Quo tempore Osee prophetauerit, qui iussus fornicariam accipere uxorem, duos filios, unamque filiam ex ea generauit: quibus nomina iubetur imponere iuxta effectas quas Dominus in populo suo decreuerat inducere: de Gentium conversione, & futuro eodem capite filiorum Iudæ & Israël.

I **V**ERBVM Domini, quod factum est ad Osee filium Beerri, in diebus Oziaë, Ioathan, Achaz, Ezechiaë, regum Iuda, & in diebus Ieroboam filii Ioas regis Israël.

2 Principium loquendi Domino in Osee: & dixit Dominus ad Osee: Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à Domino.

3 Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium.

4 Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Iezrahel: quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, & quiescere faciam regnum domus Israël.

5 Et in illa die conteram arcum Israël in valle Iezrahel.

6 Et concepit adhuc, & peperit filiam.